Annus XVI. October 1902. N. 10.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

MEDIOLANEN.

Expetenti E.mo et R.mo Domino Cardinali Andreae Ferrari, Archiepiscopo Mediolanensi: " An decretum *Mediolanen.* 18 Iulii 1902 non solum ad Ecclesias parochiales et subsidiarias sed etiam ad alias eiusdem generis Ecclesias seu Oratoria publica vel semipublica extendatur? „ Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit: " *Affirmative*, dummodo ex iure vel ex privilegio aliae Ecclesiae seu Oratoria publica vel semipublica peragere valeant functiones in Triduo Maioris Hebdomadae, adhibita etiam forma minus solemni descripta in tractatu: *Piccolo Ceremoniale delle Chiese parrocchiali della diocesi di rito ambrosiano;* secus *Negative*, et dentur decreta n. **2616** *Resolutionis dubiorum*, 31 Iulii 1821 ad 1 et 2(1)., et n. **4049** *Comen.*, 9 Decembris 1899 ad I(2). „

Atque ita rescripsit, die 22 Augusti 1902.

DOMINICUS Card. FERRATA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen.,
S. R. C. Secretarius.

ADNOTATIONES IN RELATUM DECRETUM.

(1) Citatum Decretum 31 Iulii 1821, sic se habet:

1. An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis, praesertim in ruralibus celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Coena Domini, quin peragi valeat eadem Feria et sequenti ceterae ecclesiasticae functiones praescriptae, ob Clericorum defectum. 2. An in Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico Sacello ratione Ordinationis, vel aliis Sacerdotibus (si qui sunt) qui huiusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a *Kyrie* vel a Prophetiis? Ad 1. *Affirmative*, et ad mentem. Mens est: ut locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriis V et VI ac Sabbato Maioris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 iussu editi: et quoad alias Paroecias quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, prius tamen quam in Cathedrali vel Matrice Conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SS.mo.

Ad. 2. Quoad Episcopos ratione Ordinationibus, servetur praescriptum Pontificalis et Decretum S. C. diei 21 Martii 1744 in *Bergomensi*, et Missa incipiatur a Prophetiis; et quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post Campanarum sonitum.

(2) Citatum Decretum 9 Decemb. 1899 ita est:

1. An Feria V in Coena Domini in Ecclesiis Parochialibus aliisque non Parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti?... Ad 1. In Ecclesiis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, serventur Rubricae Missalis et Decreta, adhibito *Memoriali Rituum* Benedicti Papae XIII, pro functionibus praescriptis, si extet defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero Ecclesiis non Parochialibus, omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriae VI in Parasceve: et fiat Sepulcrum; expetita facultate pro usu dicti *Memorialis*, si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus existat.

S. C. CAEREMONIALIS

I.

DECRETUM.

De iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserendis in actis quibusdam, quae ad ipsorum munus ac dignitatem spectant, R. P. D. Franciscus Riggi, apostolicis caeremoniis praefectus, S. Congregationi Caeremoniali dubia proposuit quae sequuntur:

Dub. I. — Utrum purpurati Patres ad ordinem Diaconorum vel Presbyterorum pertinentes, sed Episcopali consecratione non aucti, crucem ante pectus more episcoporum, deferre possint, sive domi intra romanam Curiam, sive ubique locorum extra ipsam Curiam.

Dub. II. — Haud semel accidit ut Patres Cardinales electi Protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus a solo gradibus, usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato, superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam ut, Cardinali Protectore templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu Tituli, antiphona: " *Ecce sacerdos magnus* „ vel " *Fidelis namque.* „ Denique ut idem Cardinalis Protector, in ecclesia publica confrater-

nitatis aut religiosi ordinis, palliolum, seu *mantelletum*, deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur:

1. Utrum Patribus Cardinalibus, qui alicuius ecclesiae Protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant.

2. Utrum purpurati Patres electi Protectores Ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis aula maiori, vel in interiore sacello; aut ad ianuam templi vel adnexi publici oratorii excipi cum cantu antiphonae: " *Ecce sacerdos magnus,* „ vel: " *Fidelis namque* „.

3. Utrum iidem Cardinales Protectores Ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint in interiore aula religiosae domus vel confraternitatis vel instituti; aut etiam in ecclesia vel publico oratorio, thronum adhibere triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peristromate.

4. Utrum liceat iisdem palliolum deponere et retecto suppari, seu *rocheto* et *mozzeta,* adstare in ecclesia vel in publico oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis.

5. Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati Protectores regnis, civitatibus, aca-

demiis, aliisve, competantne peculiaris honoris aliqua signa.

Dub. III. — Si contigua ecclesiae aedes propria sit Cardinalis Titularis, eademque inhabitetur a religiosa familia vel instituto subiecto alteri Cardinali utpote Protectori, utri purpurato liceat intra aedem ipsam incedere cum *mozzeta* tantum.

Dub. IV. — 1. Utrum Cardinalis Protectoris collocari insignia, seu stemmata, possint super ianua domus aut templi ad religiosam familiam, ad confraternitatem aliudve institutum pertinentium.

2. Item probandane sit consuetudo in Urbe recepta, ponendi super ianuis templorum ad confraternitates pertinentium insignia, seu *stemmata*, Primicerii una cum *stemmate* Cardinalis Protectoris.

Super proposita dubia, auditis tribus S. Congregationis Caeremonialis consultoribus, Eminentissimi Patres, in comitiis habitis die XXIII mensis Maii an. MCMII in Aedibus Vaticanis, ita respondendum censuerunt:

Ad I.^{um} Nihil innovetur.

Ad II.^{um} 1. *Affirmative.*

„ 2. *Negative*, i. e. excluso cuiusvis antiphonae cantu.

„ 3. Ad primam partem *affirmative*: ad secundam *negative.*

„ 4. *Negative.*

„ 5. *Negative.*

Ad III.um Competit utrique.

Ad IV.um 1. Insignia, seu *stemmata*, Cardinalis Protectoris super ianuas domus rite apponuntur. Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas ecclesiae, sed una cum stemmate Romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus.

„ 2. *Negative.*

Facta de his, per me infra scriptum Cardinalem S. Congregationi Caeremoniali Praefectum, relatione SS.mo D. N. Leoni XIII Pont. Max., Sanctitas Sua omnia adprobavit et confirmavit, die xxx eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS Card. OREGLIA a S. Stephano.

S. Congr. Caer. Praefectus.

L. ✠ S.

Ludovicus Grabinski, *Secretarius.*

II.

DECRETUM

ad E.mos Patres Cardinales.

Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat ut alta de ipsis opinio penes christianum

populum vigeat. Quare mirum non est si Eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus, quum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur ut sedulo caveatur ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quotidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere.

I. Pater Cardinalis e Presbyterorum aut Episcoporum ordine invitatus extra proprium titulum aut ad ecclesiam aliquam Urbis ad sacrum solemne, vel ad pontificalia exercenda in Missa aut in Vesperis, ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro atque his conditionibus (1):

1. Ut aequa sit et probanda causa cur E.mi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius Festi celebritatem;

2. Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignoribus sit atque insignioribus;

3. Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant;

Ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri;

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum E.mus Vir sacrum solemne peragit: praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, quum numero, tum arte nihil desiderandum relinquant.

II. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem Festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemotione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia E.mi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris Festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores

omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

III. Ad Missam privatam in publicis Urbis ecclesiis invitatus Pater aliquis Cardinalis, sive ex ordine Episcoporum aut Presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio,* ex ordine Diaconorum, ne annuat nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta Festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem S. C. Rituum praescriptis et caeremoniarum regulis.

IV. Si quis Pater Cardinalis fuerit invitatus ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento, ante ne annuat quam sibi constet omnia parata esse atque disposita iuxta superius descriptas normas; haberi sacros ministros in aliqua Ecclesiae dignitate constitutos; inferiores autem clericos et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis). ne velint quotidie accedere PP. Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

V. Absolutionis ritum post Missam de Requie ab episcopo aut presbitero celebratam, ne peragant PP. Cardinales ordinis Episcoporum aut Presbyterorum, *praesente cadavere,* nisi mandante aut vo-

lente Summo Pontifice. *Absente cadavere,* eo fungi ritu poterunt in funebribus aut Pontificis Maximi, aut purpuratorum Patrum, aut catholicorum Principum; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum; modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus (2).

VI. Ad cavendum ne aliis in ritibus caeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis, aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat, expedit ut PP. Cardinales invitationi non obsequantur, nisi facti certiores per aliquem caeremoniarum apostolicarum magistrum, omnia rite geri, nec Cardinalis decori quidquam obesse.

VII. Purpurati Patres solemnia celebraturi in publicis Urbis ecclesiis, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum, familiares nobiles duos secum ducant. — In ritibus haud ita solemnibus ducant saltem ecclesiasticum familiarem nobilem unum, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum.

Quae omnia a S. C. Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Maii an. MCMII, et per me infra scriptum Cardinalem S. C. Caeremoniali Praefectum relata ad SS.mum D. N. Leonem XIII Pont. Max.,

Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit die xxx eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS Card. OREGLIA a S. Stephano

S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. ✠ S.

LUDOVICUS GRABINSKI, *Secretarius.*

ANIMADVERSIONES

IN RELATUM S. CONGREGATIONIS CAEREMONIALIS DECRETUM.

Praeter ea quae in Decretum *Rectoribus Ecclesiarum Urbis* missum numero praeterito, animadvertimus, haec ad hoc alterum illi correlativum adiicere, opportunum credimus (*).

(1) Nominantur tantum E.mi Cardinales e Praesbyterorum aut Episcoporum ordine, compertum quippe est Diaconos Cardinales sacras functiones explere non posse, nec assistentiam (extra propriam Diaconiam) ad Thronum.

Particulae *aut* et *vel* in 3 et 4 linea huius numeri videntur ex mendo typografico irrepsisse, cum non modo sint superflua, sed sensum corrumpant. Et sane *sacra solemnia* (solemnes videlicet functiones, non *sacrum* pro *Missa* tantum accipiendo, prout intelligi debet in numero 4.) ad Ecclesiam aliquam celebranda, iam erunt extra proprium titulum, quid ergo dicit *aut?* Et illud *vel* cuinam relationem dicit? cum hic sermo sit tantummodo de *pontificalibus exercendis in Missa aut in Vesperis,* ut patet ex sequentibus?

(*) In num V citati Decreti, infra parenthesim, loco " n. II „ legatur " n. III. „

Animadversionis ad n. (7) pars altera: " Per hunc articulum.... » ad n. (10) asportanda est.

Magistri apostolicarum caeremoniarum E.mis D.nis Cardinalibus assistentiam praebere solent in Missarum et Vesperarum Pontificalibus et in aliis praecipuis functionibus et singuli Eminentissimi Patres *proprium* Magistrum habent; hinc diversitas inter hunc paragraphum et VI, ubi dicitur audiendus magister, quo Cardinales utitur, in casu scilicet *aliorum rituum et caeremoniarum* hic satis esse, declaratur Patres Cardinales certiores fieri per *aliquem* caeremoniarum apostolicarum magistrum.

Limitatur sanctio ad solas Urbis ecclesias cum non residentibus E.mis Patribus Cardinalibus extra Urbem, occasione qua sint invitandi, ipsi sacrorum Antistites satis noverint, quid erga E.mos D.nos sibi curandum sit.

Magistri porro caeremoniarum curae erit ut E.mus facultatem, extra titulum alicuius E.mi Collegae, a Summo Pontifice obtineat solium erigendi eo quod non conveniat Eminentissimos D.nos ad faldistorium pontificalia exercere extra Pontificiam Cappellam aut Patriarchales Basilicas et Indulgentiam concedendi.

(2) Non loquitur Decretum de Missa de requie ab E.mo Viro canenda, cum in alma Urbe, extra Pontificiam Cappellam, non sit in moribus.

Distinctio hic ponitur inter ritum absolutionis peragendum *praesente cadavere* et illo *absente*, quae non apparet in altero parili Decreto, eo quod, ut dictum est ibi in animadversione ad num. (11) et ex traditione servatur, *corpore praesente*, ad funebria accedere absolutionem peracturi nequeunt E.mi Patres nisi pro persona *superioris* vel *aequalis gradus*, et tunc nonnisi de *mandato* aut *voluntate* Summi Pontificis res iuxta morem peragitur. Si aliquando vero contingat de persona talibus in rerum adiunctis versata aut defuncta, ut mereri censeatur eiusmodi honorem, tunc nihil privata auctoritate geri potest, sed adeundus Summus Pontifex, qui voluntatem suam ostendet.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

DE SODALIBUS CONFRATERNITATUM IN CHORO.

(Decr. 152; 2536).

Nivardus Sacerdos, sacrarum Caeremoniarum satis peritus, quandoque ab aliquarum Confraternitatum Praeside invitatur, ut solemniori, vel etiam pontificali Missae, uti Caeremoniarum magister, assistat. At, invitatione semel acceptata, semper postea a dicta assistentia abstinuit ex sequentibus causis: 1. Plures videre cogitur Confraternitatis sodales, sacco ac mozeta indutos, in presbyterio stantes tempore Missae, pro iisque sedilia apposita ac si Canonici essent sacris induti; 2. Cum quidam adessent inservientes clerici, talari veste ac superpelliceo induti, sodales in infimam chori partem eos repellebant clericos, quasi ne dignos quidem qui in presbyterio manerent; 3. Post Offertorium ius incensationis sibi arrogabant sodales, et quidem ante inservientes clericos ipsumque Subdiaconum Missae: dum Nivardus iudicabat, ipsis nullo pacto thus esse adhibendum; 4. Contendebant denique, ut Subdiaconus iis praeberet osculum pacis, sicut

inter clerum solet fieri, et osculari renuebant instrumentum pacis, prouti Caeremoniarum magister ordinaverat. Quae omnia invito animo ferens Nivardus, ad hanc Academiam dedit epistolam, *inquirens:*

1. Quibusnam ex antiquissima, hucusque servata, seu Latinae seu Graecae Ecclesiae, disciplina, locus sacer, qui Presbyterium nuncupari assolet, reservatus fuerit? Et num exceptio pro Confraternitatis sodalibus facienda sacco indutis?

2. Quid praecitata Decreta, ius ipsum canonicum, probatique auctores certo statuant circa, seu incensationem, seu pacis osculum, praecedentia etiam inspecta, quoad laicas personas, etsi ad aliquam Sodalitatem pertinentes?

3. Num provocari expediat Decretum aliquod a competente Auctoritate, ut Confraternitates eiusmodi in officio contineantur?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Pauli Bastianini **Pontif. Semin. Pii alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 18 Iunii 1902; acta epitome per R.mum Dom.** ALOISIUM AGNOLETTI.

Ecclesiasticae archaelogiae quisquis adest gnarus, iam inde a vetustissimis christiani aevi temporibus, novit in Ecclesiis fere semper tres distinctas partes fuisse: *Atrium, Navem, Sanctuarium* sive *Presbyterium,* semper autem postremas. *Atrium,* area constans porticibus circumclausa, ante

Ecclesiae fores, ad coadunandos inserviebat illos publicos poenitentes, qui *flentes* audiebant. Post brevem spatium, quod catechumeni et poenitentes alterius classis occupabant, producebatur interius in templo *Navis,* in qua fidelium multitudo sacrae Liturgiae assistebat. *Sanctuarium* tandem, exclusive clero reservatum, postrema erat pars a Nave distincta transennae ope.

Sanctuarium apud Hebraeos intima et secretissima pars erat prius Tabernaculi, postea Templi hierosolymitani, in qua Arca servabatur foederis cum mosaicis Tabulis, et in qua consequenter dignabatur Deus suam habitationem peculiariter constituere. Nos autem Ecclesiae Sanctuarium locum illum appellamus, in quo celebrans cum ministris in Sacris peragendis consistunt, atque ideo, stricto sensu liturgico, ut Cardinalis Bona animadvertit, *Sanctuarium* nonnisi *Presbyterii* synonimum est. *Chorus* etiam solet appellari, eo quod psallentium chori ibi constituuntur.

Hoc igitur in loco, qui numquam proprie Sanctuarium appellari dignus extitisset, nisi persuasum fuisset, Christum Iesum sensibilius ibi quam in Templo Hebraeorum ducere moras, hoc dicimus in loco laicis nunquam ingressus patere deberet, quemadmodum antiquitus servatum fuisse traditum legimus in ss. Patrum operibus. Et merito quidem, si enim apud Hebraeos, ob divinitatis maiestatem, nemo ingredi in Sanctuarium audebat, praeter summum sacerdotem, et quidem semel in anno die expiationis solemni, quanto magis interdicendus est laicis, ad cultus dignitatem custodiendam, ingressus in Presbyterium, qui norunt apprime Iesum Christum verum hominem et Deum in Altari manere? Haec veritas ab ipsa Templorum structura proclamata, satis superque ostendit, haud infirmo fundamento innixos, protestantes incendere et destruere catholicorum Ecclesias ausos fuisse, dum earum forma perennem constituebat in ipsorum errores accusationem.

Nunc vero, praecipuis Decretis inhaerendo, ac praxi Ecclesiae, tum graecae tum latinae, quatenus ad destinationem Presbyterii se referunt, ad conclusionem deveniemus, Ecclesiasticam disciplinam ad suam primaevam severitatem referendo, ex quo fideles omnes aut coetus laici absque ullo personarum discrimine existentes in navibus Ecclesiae a clero separati, vividius nunc magis antiquam fidem ostendere doceantur, quam delendam frustra iniqui cogitarunt.

I. Quibusnam ex antiquissima, hucusque servata, seu Latinae seu Graecae Ecclesiae disciplina locus sacer, qui Presbyterium nuncupari assolet, reservatus fuerit? Et num exceptio pro Confraternitatis sodalibus facienda sacco indutis?

Distinctio inter Presbyterium et Navem in sacris Aedibus si quodam antiquae legis vestigio inhaeret, est et consona spiritui christianae liturgiae, quo exigitur, ut laicorum coetus semper a clericorum distinguatur. Nec novi sapere hoc idem reputabitur, si animadvertimus cum Rohault de Fleury *(La Messe, Vol. III)*, praefatum templa dividendi modum, ad ipsa christianae Ecclesiae primordia referri debere, quippe qui, adumbratus conspicitur in ipsa christianorum conventuum descriptione, quam S. Ioannes in sua Apocalypsi exhibet. S. Apostolus, ut humanis referat verbis caelestem visionem, haud aliter se id agere posse arbitratus est, quam basilicam sui temporis describendo, se constitutum effingens in Nave. Is respicit Presbyterium ex aperto aditu *(Apocal., C. III, 20, 21)*, ac videt prius Thronum Episcopi, circa quod inveniuntur sedes presbyterales, in quibus sedent Clerus Ecclesiae primitivae, ac vigintiquatuor seniores albis vestibus induti *(Ibid., C. IV, 1-6)*.

Narrat Vitruvius, in antiquis paganorum basilicis ad negotia destinatis, nec non et ad iustitiam administrandam, tribunal fuisse ad hemicycli formam confectum, cancellis clausum, ita ut, qui apud magistratum manebant, ab iis,

qui in basilica suis incumbebant negotiis, nullimode perturbarentur. Hinc sive admittatur Christianos istiusmodi basilicas in Ecclesias mutasse, aut ipsos earum formam excepisse, certum est, tribunal semper fuisse locum destinatum ad sedem recipiendam Episcopi, qui iudicis instar sedebat, dum Presbyteri circumcirca assessorum vices gerebant. Si igitur, qui sedebant pro-tribunali, ne impedirentur, tam caute provisum erat, quanto magis necessarium fuit ut Christiani praecaverent, ne sacrae functiones perturbationem pati deberent, aut possibilibus profanationibus aditus patefieret? Et ipsos cernimus sane suis in Ecclesiis Navem a Presbyterio separare transennis, seu cancellis, ita inaccessum pro populo declarantes, praeterquam ad oblationes offerendas et ad Synaxim percipiendam. Unde etiam vocaverunt eum locum graece ἄβατα, latine *adytum*, locum scilicet templi remotiorem, et fere abditum, quem ingredi non licet.

Angustioribus coemeteriorum limitibus haud obstantibus, etiam in catacumbis eiusmodi invenitur distinctio. Ita in crypta S. Callisti, ope alicuius balaustrii fragmenti in ipsa reperti, cl.mus De Rossi parvum restituere potuit Presbyterium. Quum vero datum est Christianis, ut libere et publice proprii cultus caeremonias exsequi valerent, Ecclesia ob auctum fidelium numerum latas aperire Basilicas coacta est. Verumtamen, optata pax, id facile consequuta, magis adhuc necessariam vidit distinctionem Presbyterii a Navibus curare, nonnullas adhuc caeremonias velamine abscondendo, quod primitus factum non est, cum fideles omnes liturgicis secretis initiarentur; eo vel magis, quod, in multitudine, saepe ignorantes, alias profani, quorum non amplius fidelitatem experiebatur persecutio, inveniebantur. Apud scriptores de hoc argumento copiosus habetur testimoniorum numerus, quorum nunc partem exhibebimus ad assertum probandum.

Eusebius, de choro loquens Ecclesiae Tyrensis, ait,

magno hoc aedificio completo, Episcopum praecepisse, altas constituendas cathedras pro iis qui praeesse deberent, et scamna pro populo. Altare iussit in media chori area erigendum, quam ligneo repagulo affabre elaborato clausit, ne multitudo accederet *(Eusebius, Hist. Eccles. l. X, c. IV)*. Idem eruitur ex oratione, quam S. Gregorius Nyssenus († 389) coram 150 Episcopis pronunciavit, prout et ex narratione, quam exhibet, de somnio cuiusdam Ecclesiae, scribens: " sublimi quidem throno insidere mihi videbar: utrimque porro inferioribus tamen subselliis, presbyteri, hoc est gregis christiani duces, considebant, at vero diaconi candidis vestibus ornati stabant, angelici splendoris speciem prae se ferentes. Plebs autem partim circum cancellos, apum more fusa erat; certatim enim omnes incumbebant ut proximum quemque suggesto nostro locum obtinerent; partim ad me audiendum confluens, vestibuli angustia premebatur *(Thiers, Clôtures des églises)*. „ Et S. Germanus Constantinopolitanus ait: " Columellas sive thoraces separantes gradum a reliquo templo, monstrant, exterior quidem pars, templum, quousque ingreditur et ubi sistit populus ad orandum proficiscens; pars autem interior sive gradus significat sancta sanctorum in qua *soli sacerdotes et eorum comites intrent*. „

Idem Sanctus, in sua *Mystagogia* expresse meminit columellarum etc., quae chorum efformabant: κάγκελος.

Laicorum exclusio, nullam patiebatur exceptionem; extendebatur imo magistratibus et Imperatoribus, sicuti ostenditur exemplo Constantini in Nicaeno Synodo (V. Euseb. *Hist. Eccles., V. 15* — Theodoret. *I, 7*). Spiritus adulationis Graecorum ex una parte et arrogantia alicuius Imperatoris ex altera, effecit interdum, ut hi postremi, infra septam admissi fuerint. Serius, vetustae traditionis habita ratione, id a Concilio Trullano approbatum fuit, et, Canone LXIX, admissio decreta, exclusis tamen aliis quibuscumque personis, generali vetito: " nulli omnium liceat,

qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri Altaris ingredi. „

Quum barbari a septentrionibus descenderunt, abusus magis magisque invaluit, et feudali tempore privilegium in choro sedendi inter dynastica iura computatum est. Immerito quidem, his positis exemplis, omnino improbandis, concluderetur praecedentes prohibitiones abolitas fuisse, cum nihil aliud ea sint, nisi, ut de aliis taceamus, testimonium pusillanimitatis nonnullorum Episcoporum, cum nullimode dependeant ex legis abrogatione, quae, ex opposito, nunc quoque viget. Atque ita se rem habere comprobatur ex Epistola *(Carmen ad Episcopos)* S. Gregorii Nazianzeni, in qua sanctus Episcopus amarissime plorat super hac antiquae disciplinae infractione, et revocat eodem tempore Episcopos ad iustam severitatem, quam proprium exigit officium.

S. Ambrosius, ut notum est, talibus abusibus sanctam opposuit firmitatem sui magni animi pastoralis. Is, inquit Theodoretus *(Lib. V, c. XVIII)*, Theodosium, post oblationem in Sanctuario manentem, sic est affatus: " interiora loca, imperator, solis sacerdotibus patent: reliquis omnibus inaccessa sunt et intacta. Abscede igitur, et una cum aliis consiste. „

Imperator praescriptionibus sancti Episcopi mediolanensis, etiam Constantinopoli, morem gessit; ibi enim, quodam die festo, cum versaretur, ad oblationem suam ad Altare offerendam accessit, sed inde immediate recessit, respondens Episcopo, rationem sciscitanti, se nullibi invenisse, praeterquam Mediolani, doctorem veritatis, virum profecto dignitatem episcopalem honestantem. Eadem item fuit insequentium saeculorum consuetudo, uti apparet ex his quae de seipso narrat Theodosius iunior, in actibus Concilii Ephesini: " ad sacra altaria munerum tantum offerendum causa accedimus; et quum circumseptum sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur; nec quidquam ex propinqua di-

vinitate nobis arrogamus. „ In Synodo Romae habito sub Eugenio II *(Can. 33)* statuitur: " ut nulli laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes reliquive Clerici consistunt, quod presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut libere ac honorifice possint sacra officia exercere. „

Quae dispositiones et in Synodo Leonis IV sancitae fuerunt, et una cum citatis Canonibus ad saeculum usque XIII passim confirmatae, quo ex tempore origo repetenda est hodiernarum Confraternitatum a valentibus Missionariis promotarum, quos inter celebris Ioannes a Vicentia. Tunc coeptum est Confraternitates distingui ob Processiones aliaque pietatis opera, quae instituebantur, peculiaria insignia praeseferentes, sub quibus coadunabantur praecipue opifices et plebeii. Exemplum repente ita animos excitavit, ut nulla foret in Italia civitas aut pagus, in qua una aut plures non erigerentur Confraternitates, quae hucusque maxima ex parte servatae sunt. Hae formant corpus in Ecclesia, cui Summi Pontifices, plurima contulerunt privilegia et indulgentias, nunquam tamen rati sunt privilegium concedere, quo sodales earum clericis aequipararentur, sedendi inter Sacra in Presbyterio. Ex iure canonico nulla quoad hoc praerogativa decorantur, et cum aliis laicis a Sanctuario excluduntur. Istiusmodi enimvero Confraternitates quibusdam coalescunt individuis, quorum scopus est nonnulla exercere religionis et pietatis opera, aut se dare caritatis officiis erga indigentes; sed nihil inde, ex quo clericis comparari possint. Nec ceterum favet antiquitas alicuius consuetudinis, cum legitimae haereditatis more ab antiquis Confraternitatibus nihil huiuscemodi accepisse sint dicendae. Et sane veteres recto tramite hodiernis coniunguntur, iisdem semper vigentibus decretis: " ut laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quam ad Missas, stare penitus non praesumant; „ comprehenduntur evidenter in prohibitione et confratres namque " pars illa, quae a cancellis versus Altare dividitur, *choris tantum psallentium pateat clericorum.* „

Quod si Reges admittuntur, videri nequit quasi liturgica irregularitas aut exceptio quaedam, eo quod facile intelligitur iis datum privilegium, quatenus sunt personae sacrae. Nunc vero, Decreto **275**, sancitur: " non licere nec permitti debere laicis, dum divina officia in Ecclesia Metropolitana celebrantur, inter Canonicos et alios in Ecclesia Praebendatos ac Ministros, in choro vel Presbyterio stare vel sedere: neque licere magistratibus aut iudicibus laicis, proprias dignitatum sedes aut canonicorum stalla in choro praedicto aut Presbyterio occupare, etiam si aliquando id eis permissum fuerit. „ Eadem prohibitio ex decretis **157**, **175** ..... **1258**, eruitur; hoc autem postremum his terminis se exprimit: " non licet saecularibus, ac etiam aliis, ascendere chorum et presbyterium ad audiendas Missas et conciones, nec non ad interessendum divinis officiis et benedictionibus SS.mi Sacramenti. „ Et pressius Decretum **2220**, ad Dub. 5, 6 et 7: " An in anniversariis quae fiunt pro animabus Confratrum, praesente Capitulo, possint iidem Confratres sedere in banco posito in medio Chori, a duobus eius lateribus attenta praetensa consuetudine. „ — " An Feria V et VI maioris Hebdomadae possint iidem Confratres assistere functionibus sedendo in stallis Canonicorum, Canonicis sedentibus in medio eiusdem Chori ab utroque latere, et Archiepiscopo sedente in medio pontificaliter induto, attenta praetensa consuetudine?„ — "An in die Corporis Christi et octava possint iidem Confratres habere sedem seu locum retro Altare maius eiusdem Cathedralis, attenta praetensa consuetudine? „ respondit: " *Negative*, et amplius in omnibus, die 23 Septembris 1713, in *Baren.* „ Et Decretum **1792** iam instituerat: " Decreta prohibentia personis saecularibus... assistentiam in presbyterio renoventur .... et in casu transgressionis procedant (Archiepiscopi et Episcopi Regni Neapolis) etiam contra Regulares, auctoritate eiusdem S. C. ad poenam interdicti .... 13 martii 1688. „

Consonat *Instructio Clementina* pro Oratione XL Horarum, Romae quidem legis vim habens, sed extra optima aliarum legum interpres, in qua habetur § 27: " Si proibisce espressamente agli uomini e alle donne di qualsivoglia stato e condizione (eccettuate le persone regie, quando vi si trovino) l'entrare, sotto qualsivoglia pretesto, ad orare nel Presbiterio o sia recinto dell'Altare, dove sta esposto il Venerabile, dovendo quel luogo esser occupato *solamente dagli ecclesiastici destinati al ministero divino o all'assistenza dell'Orazione* (optime: ergo neque ab Ecclesiasticis privato habitu tantum indutis). "

Et quoad Custodes (Guardiani), Deputatos et officiales attinet Confraternitatum, Societatum et Congregationum laicalium: " sederanno sopra un banco . . . onninamente situato fuori del presbiterio, in quei casi, che assisteranno alle Messe o Vespri solenni, o che nel presbiterio si celebri dal clero alcuna funzione sacra, secondo li replicati Decreti della S. Congregazione dei Riti . . . sotto le pene espresse di sopra. "

De cetero eadem S. Cong.tio suam satis mentem aperuit, quando, anno 1789, peculiaribus quaesitis respondens, Decreto particulari quidem sed equivalenti generali, sub numero **2536**: " non licuisse neque in posterum licere camerario et confratribus piae societatis sub titulo S. Annae Matris B. M. V. in eadem Parochiali coadunatis, *quacumque veste indutis*, etiam de consensu Parochi, *assistere* Vesperis et Missae solemni intra presbyterium in Festivitate eiusdem S. Annae, ibique thurificationem aliosque obsequii actus excipere. "

Facilis irrepsit abusus ingressus inter Presbyterii septa laicorum confraternitatibus adscriptorum, ex peculiari forma vestis, quae *sacco* vocata est, et similitudinem praefert habitus religionis, quae et benedicitur.

Verum confundenda non est talis religiosi habitus forma et genus cum Monachorum et Mendicantium habitu, queis cle-

ricis in pluribus comparatis, licet in choro eo uno indutis, absque superpelliceo, interesse, cum Confraternitates non sint coetus religiosus proprie dictus, et socii earumdem non exeant, ob id, quod iis pertinent, a statu laicali.

Attamen, quod diximus de non admittendis laicis *sacco* indutis infra Presbyterium, nihil officit consuetudini, etiam pro adolescentulis, vestibus a variis coloribus indutis admissae, et ab Ecclesia toleratae, sacris functionibus inserviendi, aut in choro manendi, in habitu talari (ergo et *sacco*), sed *superpelliceo superposito* more Clericorum: tunc enim censetur unusquisque, fictione iuris, Clericus. Nec de sodalibus Tertii Ordinis alicuius Religionis quaestionem agimus, cum isti vere Ordinem constituant, non Confraternitatem.

His positis, clarissime patet, presbyterium unice ad Clerum recipiendum reservari debere, nullamque dari exceptionem pro laicorum Confraternitatibus, etsi proprio habitu, *sacco* nuncupato, indutis. Consequenter, si ob illicitam consuetudinem, antiqua supplantata fuerit disciplina, nec amplius prohibitionum, quibus mens supremae auctoritatis pluries manifestata est, habita sit ratio, quamcitius res in pristinum sunt collocandae. Videant ergo Confraternitatum Antistites, et ipsi Rev.mi Episcopi ut, pro Domus Dei decore, et pro sacrae disciplinae ordine tuendis, quae reformatione indigent, reformentur, et quae ad iuris tramitem procedunt, sedulo foveantur.

II. Quid praecitata Decreta, ius ipsum canonicum, probatique auctores certo statuant circa, seu incensationem, seu pacis osculum, praecedentia etiam inspecta, quoad laicas personas, etsi ad aliquam Sodalitatem pertinentes?

Ex institutione divina, laicorum coetus ab alio Clericorum non modo differt, sed ita intelligitur oppositum, ut in Ecclesia Clerus semper praeesse debeat, illi autem subesse debeant laici. Et merito quidem, dum Clerus his supereminet tam ordine quam iurisdictione; ita ut laici tum ratione

ministerii, tum auctoritate ab illo pendere sit necesse. Verumtamen non omnino iuribus carent in Ecclesia laici: quia si eius corpori uniuntur, latissimo sensu, personae ecclesiasticae dici queunt, et illud internum et invisibile Sacerdotium constituunt, de quo S Petrus scribit: " Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sacra, populus acquisitionis *(Ep. I, c. II, 9)*; „ iis potiuntur iuribus, quae naturaliter ex actuali cum Ecclesia communione promanant. Ii autem, quibus ob peculiarem aliquem titulum conceditur ut activam teneant partem in negotiis ecclesiasticis gerendis, fere in alium ordinem constituuntur, atque ideo tamquam a laicis distincti habentur. Hinc participatio ad quasdam honoris significationes in sacris functionibus, in quibus tamen praecedentia semper Clero tribuitur. Canonistae omnes conveniunt in radicali statuenda distinctione inter *Clericatum* et *Laicatum*, ex qua, in materia ecclesiastica, logice consequitur praecedentia primi prae altero.

Quod thurificationem respicit, generatim, nemini honor tribuitur incensi extra Presbyterium manenti: " extra chorum existentem neminem thurificari debere. „ Unde, post interdictum Presbyterium Confraternitatibus; Decreto **2536** sancitum: " ibique (ipsis non licere) thurificationem aliosque obsequii actus excipere, „ negavit eis omnino implicite honorem incensi. Attamen Ephemeris *Monitore Ecclesiastico*, excepit Priores, quando, numero diei 31 maii p. p., respondens dubio, an possit tolerari usus incensum et pacem ipsis tribuendi, declarat: " crediamo che la esposta consuetudine, quando non si possa togliere senza inconvenienti, si può tollerare. „ Verum quod attinet praecedentiam satis clare mens patet S. Congregationis, ex Decreto **152**: " Clerum semper debere praecedere quibuscumque Laicorum Confraternitatibus, et si quid in contrarium servetur, abusum et non consuetudinem esse declaravit. „

Sacra eadem Rituum Congregatio, Decreto **3264**, deter-

minabat quoad fabricae praepositos Ecclesiae Cathedralis Barcinonensis: " Fabricae praepositos, in suis sedibus locatos, extra presbyterium, thure adolendos esse a thuriferario, et unico ductu, numquam vero a Diacono (*ad 3*); „ et quantum ad pacem: " (non) a Subdiacono pacem debent accipere, (sed) ab alio ministro inferiore cotta induto, et cum instrumento, non vero cum osculo (*ad 4*). „ (Cfr. *Caerem. Episc.*, l. 1, c. 24, n. 6; *Merati, ap. Gav.*, V. I, p. II, tit. 10, n. 46).

Hinc convenimus cum praefato *Monitore* posse, ob invectam consuetudinem, personis qualificatis tribui honorem thuris et pacis extra Presbyterium, ad tramitem Decreti modo citati, quinimo neque necessitatem videmus pro consuetudine abolenda ullam obligationem imponendi.

Usus pacem significandi seu mutuum amplexum, antiquitus communis erat omnibus fidelibus: sed cessavit gravibus de causis, medio circiter saeculo XIII, et alio pacem significandi *instrumenti* ope subrogatus est, quod tunc *osculatorium* nuncupatum fuit, pia quadam tabella repraesentatum aut sacra imagine, quae ad osculum fidelium praebebatur (Cfr. Card. Bona, *Rer. liturgic.*, Tom. III, lib. II, nota 5, pag. 358). Tempore labente, abolitae et haec tabellae fuerunt, quae, ob nonnullorum ambitionem, qui praecedentiam hac in caeremonia contendebant, potius quam ad pacem significandam, ad discordias disseminandas inserviebant. Antiquus mos hodie retinetur tamquam privilegium, quod et Confraternitatibus tribuitur, quae hoc nimirum contentae sint oportet, Clericorum privilegiis abrenuntiantes, quale foret, in casu, osculum pacis a Subdiacono ministrante recipiendi.

III. Num provocari expediat Decretum aliquod a competente Auctoritate, ut Confraternitates eiusmodi in officio contineantur?

Ius Canonicum Presbyterium reservans solis Clericis, negat ingressum in illud laicis, *ut libere ac honorifice possint*

sacra officia exercere. Et merito. Omnes quidem hoc compertum habent, si quis ad quoddam officium ex privilegio admittitur, saepe temporis decursu illo non contentus, alias clamitans appetit attributiones, quasi consequentes, cum tamen nullum prorsus ius legitime est datum. Nunc vero, cum in casu nostro agatur de Confraternitatibus, ut plurimum personis inferioris coetus et culturae, saltem maiori ex parte, constantibus, quae difficiliter comprehendunt quousque extendantur limites propriae actionis, quaeque forte inter Clericos admittantur, cito videbuntur rebus immisceri, quarum exercitium nullimode convenire potest statui laicali. Quod si Parochi aut Ecclesiarum Rectores, rectae disciplinae studentes, vellent se continere ordine praestituto, nescimus quibus et quantis anxietatibus obnoxi fierent; quinimo, scimus potius, quanta pervenerint audacia et vexationes nonnullarum ex praefatis Sodalitatibus in Clerum, cum non semel officio exorbitare praesumpsere. Si autem eiusmodi laici sodales admittantur, ut diximus superius ad inserviendum in sacris, more Clericorum, videant ut omnia calleant, eaque sancte expleant; sed semper caveatur, ne Caeremoniarum moderatores existant, cum hoc ex *Caeremoniali Episcoporum* (Lib. I, Cap. V.) competat Clericis tantum *in sacris constitutis*.

Plurimi passim, et aegre dicimus, etiam Romae, abusus hac de re irrepsere, quos compescere necessarium est. Necessarium tamen non videmus S. Rituum Tribunal adire ad novum Decretum provocandum, cum nimis clara sit iam constituta lex, et enixe, quantum scimus et possumus, rogamus Sacrorum Antistites, et in hac Alma Urbe Eminentissimum SS.mi D. N. Vicarium, ut ordinario iure uti velint ad compellendos Confraternitatum sodales, ut officio contineantur, ad Dei gloriam, Ecclesiae decus, fidelium aedificationem (1).

(1) Gaudemus iam Romae constitut m, auctorante E.mo Cardinali Vicario, peritorum in re ecclesiastica Commissionem, notandis abusibus Urbanarum Sodalitatum in sacris, et mediis ad illos evellendos suggerendis.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio, v. n. 9, p. 590)

Alio sensu accipi quoque potest haec Rubrica; quando enim simul occurrunt duo Festa, quorum unus *cum feriatione* aut cum magno populi concursu celebratur, huic credimus praeferentiam concedendam esse. Id docent cl. Cavalerius (*c. 26, decr. 4*), De Herdt (*p. 4, n. 286 reg. 6*), et A Carpo (*p. 2, n. 148, IV*), maxime innixi super duobus S. R. C. Decretis antiquae collectionis d.d. 5 Maii 1736 n. 4044 et 11 Ianuarii 1749 n. 4198, ait enim Cavalerius (*ibid.*) *solemnitas et populi concursus disparitatem invehunt in Festa.* Cum autem dispositiones in citatis Decretis comprehensae in novissima collectione omissae fuerint, dubitare quis poterit an hodie illae amplius vim aliquam habeant.

Nos autem propter tria adhuc hanc doctrinam sustinendam esse contendimus; 1. quia in alio loco Rubricarum (*Tit. XI de occurrentia n. 2* in fine) dicitur: *Festa illorum sanctorum, qui in propriis locis vel ecclesiis* solemniter *celebrantur, praeferuntur aliis in Calendario descriptis*, ergo si ratione *solemnitatis* in loco praeferuntur in occurrentia, ita ut integrae vesperae sunt de Festo aequalis ritus, sed *solemniori* in loco, cum commemoratione alterius, tanto magis in occurrentia, uti patet; 2. quia in Rubricis Missalis Romani (*Tit. VI, de Translatione Fest.*) legimus: *In dicendis Missis servetur ordo Breviarii..... In ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel* concursus populi *ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die alia de Festo* etc. Igitur si *concursus populi* admittitur uti causa canendi duas Missas, non exclusis diebus Assumptionis B. M.V.,

Ss. Petri et Pauli etc. a fortiori causa sufficiens erit ut praeferatur, ceteris paribus, in occurrentia Festum cum feriatione aut cum huiusmodi populi concursu; 3. in S. R. C. Decreto generali, de *Dedicatione Ecclesiae*, (*4 Februarii 1896 n. 3881*), habetur: 1. *Dedicationis Ecclesiae esse Festum Domini*; 2. *Hinc solemnius et primarium aliis locorum Festis esse praeferendum tam in occursu quam in concursu... nihilominus Patroni Festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis*, ratione feriationis, *praedicto Anniversario praeferatur.*

Itaque *feriatio* apud S. R. C. adhuc est causa sufficiens, ut Festum feriatum aliis praeferendum sit. Quidquid sit ergo de expunctione dictorum Decretorum, procul dubio nobis videtur eorum dispositiones adhuc vim legis habere.

Et sane, quando populus ex. gr. adveniente die solemnitatis sui Patroni, vel Ecclesiae Titularis ad templum accedit, illos veneraturus, omnis ratio suadet ut devotioni populari fiat satis, celebrando Festa huiusmodi potius quam alia, eiusdem ritus et classis.

(408)... *aut in paritate ritus de primario prae secundario.* Iam supra diximus quid sibi velint hae voces *primarium* et *secundarium* in Festis; quae ratio seu qualitas in eis tunc est attendenda, quando agatur de occurrentia duorum officiorum eiusdem ritus, et classis et ordinis. En secunda regula de qua vide notam 363.

(409)... *aut iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personae.* Nempe inter duo Festa quae sint ambo primaria, vel ambo secundaria, illud praefertur Festum quod est *dignius,* ratione dignitatis personae.

Ordo autem huiusmodi dignitatis in casu habetur in Rubrica (*Tit. XI, n. 2*) et melius declarabatur in S. R. C. decreto d. 22 augusti 1711 n. 3841 (antiquae collect.) idest 1. Festa Domini; 2. B. Mariae Virg.; 3. SS. Angelorum;

4. S. Ioannis Baptistae; 5. S. Ioseph; 6. SS. Apostolorum; 7. Ceterorum Sanctorum et Sanctarum Dei. In Rubrica et in citato Decreto non fit mentio de SS. Evangelistis, nihilominus, cum S. R. C. in alio Decreto generali (*17 Iulii 1706 n. 2171*) declaraverit, in casu quo tranferri contingat eodem anno Festum S. Marci Evang. a sua die 25 Aprilis et Festum SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, a die 1. Maii, ut evenit anno sequenti 1707, *praeferendum esse officium S. Marci.* Ergo tam Apostoli quam Evangelistae ad eumdem ordinem pertinent quoad dignitatem in Rubricis.

Quoad vero dignitaten exiguam, uti vocat A. Carpo (*Bibliot. p. 2, n. 148, ad VIII),* illam scilicet quam habet Martyr Pontifex prae Martyre tantum, Martyr prae Confessore, Papa prae Episcopo, Episcopus prae Confessore tantum, Confessor prae Virgine licet Martyre, Virgo et Martyr prae Virgine tantum, Martyr non Virgo prae Vidua non esse attendendam putamus, nisi in casu quo coeterae omnino pares sint conditiones tam praecedentes, de quibus iam egimus, quam sequentes de quibus infra. Et quamquam cl. Guietus (*l. 4, c. 7, q. 3*) sic doceat: " Haud tamen valet in Romano, quod habet Meldense Breviarium, Festa aequalia Martyrum prius transferrenda quam Confessorum quam Virginum. Non enim ut Angelorum et Apostolorum, sic Martyrum supra Confessores et Confessorum supra Virgines, datur praecellentia quoad occurrentiam, nec quoad concurrentiam, ut infra docebitur; " nihilominus haec dignitas omnino secundaria et *exigua* ut dicit A. Carpo, attendi poterit, in sola occurrentia perpetua, quando utrumque Festum occurrens omnino sit aequale in omnibus, etiam quoad antiquitatem.

(410)... *aut in paritate dignitatis de fixo prae mobili.* In nota 349 § 4 iam diximus quae sint Festa *fixa* et quae *mobilia;* hic tamen pro maiori huius Rubricae intelligentia aliud est addendum.

Cum S. R. Congregationi quaesitum esset: *Non raro occurrunt eodem die duo Festa primaria, vel duo secundaria eiusdem ritus et classis, quorum unum est mobile alterum affixum diei mensis, cuinam competit praecedentia?* et S. R. C. die 21 Februarii 1896, n. 3885 ad 1, exquisita commissionis Liturgicae (1) sententia, respondit: *Ex duobus Festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori: in paritate dignitatis, competit Festo diei mensis affixo.*

Quae nova regula alio Decreto 27 Iunii 1896, n. 3919 ad 3. confirmata est, ac proinde in postrema emendatione Rubricarum inducta hocce in loco, et vim legis habet omnino uti noviter declaratum est in Decreto 20 Iunii 1899, n. 4034 ad 1. Nihilominus, cum in nova Collectione Decretorum expunctum non fuerit Decretum *in Neapolitana* d. d. 18 Octobris 1818, n. 2591 (n. 4552 antiquae editionis), in quo nonnullae praetiosae habentur notiones circa naturam Festorum mobilium, dicendum est adhuc haec principia retineri posse, imo S. R. C. ea retinuit, cum ex illius Decreti dubiis, tantum expunxit illud quod sub n. 14 ultimo loco habebatur in antiqua editione.

Audiamus ergo quid sentiat S. R. C. hac super re..

In citato Decreto agitur de Festis Patronorum, quae ex Breve Pii Pp. VII celebranda erant in Dominica proxima. Dubio 2. exquirebatur: *An Festa Patronum principalium haberi debeant tamquam Festa mobilia?* Cui S. R. C. respondit: *ad 2 negative; cum huiusmodi Festa certis Dominicis infra*

(1) Antiquitus, usque ad totum annum 1895, S. R. C. antequam aliquod responsum daret super Rubricas, votum exquirebat unius ex Caeremoniariis Pontificiis. A mense autem Ianuarii 1896 felicius consultum est creari commissionem specialem virorum in re liturgica peritorum, quae *Commissio liturgica* vocatur. Hoc Decretum in *Viglevanen.* unum est ex primis sex datis, audito prius huius novae Commissionis Liturgicae voto.

eorumdem octavam sint perpetuo assignata, et nisi per accidens transferenda sint.

Item dubio 5. exquirebatur: *an simul cum Festo Patroni principalis in diem Dominicam translato transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia etc.* et S. R. C. respondit: *Ad 5. Affirmative* (1); *quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset in die propria.*

In volumine IV Collectionis novissimae Decretorum (*pag. 184*) habentur cl. Gardellinii adnotationes super hoc Decreto, et ad dubium 2. legitur: " Festa perpetuo affixa certae Dominicae, adnumeranda non sunt Festis *mobilibus* nisi lato modo, quia scilicet non semper eodem die mensis celebrantur: habent tamen *certam sedem* a qua nonnisi accidentaliter queunt amoveri. Vere *mobilia* censentur et sunt illa quae pendent a Cyclo Paschali... "

Iuxta ergo S. R. Congregationis mentem, luculentissime ab eius secretario Gardellinio declaratam, Festa aliquibus Dominicis per annum adsignata *non sunt mobilia* (ad 2. enim dubium praecitatum, an sint *mobilia* respondit: *negative*), ideoque omnibus iuribus gaudent, quibus fruuntur Festa *fixa*, hisce ex causis: 1. Quia iis Dominicis sunt *perpetuo assignata*, tanquam in sua sede, et nisi per accidens transferenda sunt; 2. Quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo affixum perinde habenda est hac si esset *dies propria*.

(1) Advertant lectores nostri; S. R. C. ut plurimum, imo quasi semper, iuxta stylum Romanae Curiae, responsiones suas dat per solis verbis: *Affirmative, negative, serventur Rubricae*, vel *dentur Decreta*. Hic vero ratio quoque donatur responsionis. Et notandum est quod tunc S. R. C. segretarius erat clar. Gardellinius, qui summus fuit in re liturgica magister, ipse primus collectionem edidit Decretorum, quibus etiam quamplurimas adnotationes valde praetiosas adiecit. Suo ergo tempore S. R. C. responsis semper adiicebatur ratio eorumdem, quod quantum bene studiosis inserviat, omnes norunt.

Quibus duabus rationibus tertiam adiicendam esse nos credimus, non minoris, imo procul dubio maioris, ponderis. Pius Pp. VII, in citato suo brevi d. d. 10 aprilis 1818, n. 2589 numerum Festorum reducens edixit ut Festa Patronorum celebrarentur in Dominica sequenti. Item id praescripserat pro Galliarum Ecclesiis Card. Legatus Caprara per indultum, adhuc in usu, d. d. 9 Aprilis 1802. Quanam autem ex causa huiusmodi Festa in Dominica celebrari debent? Omnibus patet; quia nempe *festivitas* quae adnexa est diei Dominico in honorem accederet hisce Festis abrogatis. Ergo, ex hac causa Festa Dominicis diebus adsignata, maiori vinculo, ut ita dicam, Dominicis ipsis devinciuntur, quam Festa Sanctorum quae per accidens aliquo anno in Dominicam incidunt. Vide quae diximus in nota n. 286, circa Festum S. Ioachim, quod a Papa Clemente XII eo ipso ad Dominicam infra octavam Assumptionis celebrandum mandavit, et non amplius in sua die fixa 20 Martii, ut feriatione dominico diei adnexa, gauderet, et sic non multiplicarentur dies festos.

Ergo, huiusmodi Festa quae aliquibus Dominicis diebus sunt adsignata, in iisdem Dominicis celebranda sunt non tantum quia occurrunt in *propria die,* sed quia occurrunt in *propria die feriata;* ut nimirum gaudeant feriatione, quam amiserunt in sua die, adnexa Dominicae in qua sunt celebranda.

Sit casus: Festum S. Ioachim *dupl. II classis,* in Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. recolendum est; haec Dominica incidit die 20 Augusti, et in mea ecclesia agitur Festum S. Bernardi Ab. Conf. pariter sub ritu *duplici II clas.* Agitur de duobus Festis quae paria sunt omnino:

a) quoad *ritum* et *classem;*

b) quoad qualitatem *primarii;*

c) quoad *dignitatem.*

Nihilominus, si ad litteram huius Rubricae dispositio accipiatur, Festum S. Bernardi *uti fixum diei mensis,* videretur

praeferri debere Festo S. Ioachim, quod videtur *mobile*, utpote adsignatum diei Dominicae.

Sed lectores nostros animadvertere rogamus: 1° quod Festum S. Bernardi, nec iure nec privilegio recolendum est cum feriatione; 2° quod licet dies 20 Augusti sit *propria* ipsius S. Bernardi, est etiam *propria* S. Ioachim, quando ea dies sit Dominica; 3° quod si dies 20 Augusti est Dominica, propter feriationem ad quam ius habet S. Ioachim, est magis propria huic Sancto B. M. V. genitori, quam S. Bernardo; 4° quod Festum S. Ioachim, licet ratione mobilitatis litterae dominicalis, dicatur *mobile*, revera, ut dicit S. R. C. in citato Decreto n. 2591, et ut melius declaratur in subiecta adnotatione cl. Gardellinii, *non est adnumerandum Festis mobilibus.* Ergo in casu praeferendum est Festum S. Ioachim, et transferendum officium S. Bernardi.

Si aliter esset, sicut tempore Clementis XII praevidendum erat, pluribus in locis occurrere potuisse Festa *fixa* eiusdem ritus, quae S. Ioachim celebrationem impedirent; hoc inconveniens parum non grave eveniret, quod dum in die sua fixa 20 Martii cedere debebat tantummodo Festis maioris ritus et dignitatis, post eius adsignationem ad dictam Dominicam, cedere deberet quibuscumque Festis eiusdem ritus, hac sola ratione quia haec sunt *fixa*. Sicque, licet Clemens XII assignando celebrationem Festi S. Ioachim ad Dominicam eius honorem adaugere intellexit, e contra illius Festum depressisset.

Itaque, sicut in occurrentia Festorum vere *mobilium*, quae pendent ex mobilitate Paschatis, ipsa praeferuntur Festis fixis, non tantum in paritate ritus, sed multoties etiam quando mobilia officia sunt inferioris ritus, ita et in caso nostro, pro festo S. Ioachim, et pro ceteris similibus Festis primariis, quae cum solemnitate aguntur in Dominicis, hac ratione, ut feriatio Dominicae ad eorum honorem redundet.

Quid ergo dicendum? Num reformata, Rubrica quam hic exponimus, corrigenda erit?

Distinguendum est; habentur quamplurimae Festivitates, minoris nobilitatis, quae adsignantur certis Dominicis diebus celebrandae, uti ex. gr. Maternitas, Puritas, Patrocinium B. Mariae Virg. etc. Hae Festivitates, quae aliquibus in locis multiplicatae sunt supra modum (1), si bene considerantur propter duo concessae fuerunt: 1° Quia populus, certis Dominicis diebus quasdam Festivitates celebrare coepit, quia ob abstinentiam a servilibus operibus, facilius ad ecclesiam mane et vespere accedere potest ad huiusmodi agendas solemnitates. 2°. Quia, quum hodie maxime, uti legitur in S. R. C. Decreto generali d. d. 5 Iulii 1883 n. 3581, *imminuto Cleri numero auctisque aliis eius oneribus, minime convenire extimatur,* ut augeatur onus officiorum ferialium, ideoque eodem Decreto concessum est *indultum generale* pro officiis votivis, eadem, imo maiori ex causa, idem dicendum est de officio Dominicali. Compertum est enim, quod clerus, maxime die Dominico, ad multiplicia munera ministerii vocatur; iam a Sabbato praecedenti pro confessionibus audiendis, pro homilia in Missa

(1) Confer quae scripsimus hac de re in notis 74, et 82. Rev. P. L. Potevin Ord. S. Benedicti, in Ephemeride gallica, cui nomen: *Revue des sciences ecclésiastiques* (n. Augusti 1898, pag. 17) recensionem publicavit voluminis 1. huius nostrae Expositionis, et plurimas gratias ei agere debemus, propter benignitatem et laudes quibus opellam nostram accepit. Quoad autem Festa quae paucis ab hinc annis impediunt officium Dominicale, haec de nostro sentiendi modo scribit:

" Felices sumus revocando lectores nostros ad locum in quo (D. Piacenza) loquitur de celebratione officii Dominicalis. Quam procul discessi sumus a tempore, in quo nisi aegre concedebantur nova Festa duplicia, ne Dominicale officium, quod est Domini, impediretur! quam invidemus Mediolanenses apud quos dies Dominici numquam locum cedunt nisi Festis Domini!

" Ita lubenti corde subscribimus vota ne amplius petant Episcopi octavam pro Festis quae diei Dominicae affixa sunt. „ Super hoc, etiam unum ex Patribus purpuratis audivimus lugentem officii Dominicalis hodiernam abiectionem.

parochiali, ac catechismo parvulorum et adultorum parandis occupatur.

Hinc ad solatium Cleri, loco officii de Dominica, quod est longior, conceduntur officia haec secundaria quidem, sed certe breviora.

Haec officia *mobilia*, pluribus ex decretis S. R. C. *(20 Nov. 1683, n. 1721 ad 3; 29 Ian. 1752 n. 2417 ad 4; 27 Aug. 1836 n. 2745 ad 9; 9 Maii 1884 n. 3607 ad 5; et 18 Iunii 1885 n. 3637 ad 4)* omittenda sunt eo anno in quo a Festis nobilioribus impediuntur, neque sunt transferenda, nisi obtineatur speciale privilegium. Lex ista melius comprobatur et exponitur in alio decreto *(d. d. 25 Septembris 1852, n. 3508 ad 1)* in quo legitur perpulchrum principium: huiusmodi Festa *uti mobilia assignata sunt Dominicis diebus, quae tamen non sunt dies propriae;* ergo revera non celebrantur tamquam Festa in propria die, sed tamquam officia subrogata officiis dominicalibus.

Quamobrem, nulla ratio suadet ut huiusmodi officiis mobilibus concedatur ius translationis quando impediuntur. Non prima, nempe devotio populorum, in cuius gratiam instituta sunt, quia adveniente ex. gr. Dominica III Octobris populus ad ecclesiam concurrit ut Puritatem B. Mariae Virginis concelebret, licet clerus aliud officium persolvat; aliis verbis, Festum populus agit, forsan etiam magna cum processione, nihil inquirens utrum clerus privatim officium Festo respondens recitaverit an non. Neque secunda ratio quid valet, solatium nempe cleri; quando enim impeditur aliquod ex his mobilibus Festis, Festum impediens suum habet officium procul dubio iam brevius quam officium dominicale. Cum itaque clerus ab onere huius longioris officii est sublevatus, finis iam obtinetur, quin opus sit ut mobile Festum ad aliam transferatur diem.

Quod si duabus hisce de causis, devotio populi, et cleri solatium, visum est expedire ut huiusmodi Festa mobilia con-

cederentur, probe etiam deducitur convenientia iisdem festis ius translationis negandi.

Sed ob causas easdem satis quoque comprobatur principium, in hac Rubrica statutum; nempe: Ex duobus Festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis praecedentia competit digniori: et in paritate dignitatis competit Festo diei mensis affixo; ideoque haec nostra Rubrica reformata dicit: *in paritate dignitatis fit de fixo prae mobili.*

Hoc ergo principium, et lex ista ab eo proveniens, optime applicatur Festis *mobilibus* huiusmodi, quae minoris sunt nobilitatis, et uti subrogata officiis dominicalibus conceduntur, non vero Festis illis solemnioribus, quae eo ipso in die Dominica adsignata sunt ut cum feriatione celebrarentur. Hac facta distinctione, facillime intelligitur hic locus Rubricarum.

Festa nempe solemniora uti S. Ioachim et SS. Patronorum, quia teste S. R. C. *non sunt vere mobilia*, ceteris paribus praeferuntur Festis *fixis* eadem die Dominica occurrentibus; Festa vero minoris nobilitatis uti Maternitas et Puritas B. M. V. quia teste S. R. C. *vere sunt mobilia* et adsignantur diebus Dominicis, *quae tamen non sunt dies propria*, ceteris paribus locum cedunt Festis diei mensis *affixis*.

Hanc nostram interpretationem huius Rubricae, quam summarie iam dedimus in nota 286, duobus S. R. C. consultoribus manifestavimus, et omni ex parte eam probavere.

(Continuabitur)

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 9, pag. 604-608).

Confirmatur conclusio nostra ex privilegio Basilicae S. Mariae Transtyberim concesso, omittendi nempe in Quadragesima Missam votivam de SS.mo Eucharistiae Sacramento pro Expositione XL Horarum, et functionem Expositionis peragendi post Missam *ferialem.* Profecto ratio votivae Missae hoc in casu omittendae est diversa ac in nostro casu, privilegium videlicet liberare intendit a gravi incommodo trium Missarum cum assistentia Capituli celebrandarum, sed paritas in effectu semper existit; si enim votivae Missae inconveniens ab auctoritate existimatum fuisset substituere Missam ferialem, potiusquam hanc, debuisset festivam occurrentem pro functione praecipere, sed hoc non fecit, ex variis inconvenientibus inde consequentibus, quae nos superius notavimus.

Ex Decreto iam citato **3574**, ad V, a mane Feriae V Maioris Hebdomadae, ad mane Sabbati Sancti ab Expositione XL Horarum *omnino cessandum est,* sed quaeri potest, utrum in Missa Repositionis, quae incideret Feria V praedicta, aut in Missa Expositionis, quae facienda esset in Sabbato Sancto, locum habere debeat commemoratio SS.mi Sacramenti. De Missa enim votiva fieri nequit quaestio, etsi inter dies exceptos ii non comprehendatur, eo quod praeter solemnitatem dierum, considerandum est, unicam Missam conventualem iis diebus

locum habere tantum posse. Et quoad Feriam V, absque haesitatione respondendum est negative, ob identitatem mysterii; quoad tamen Sabbatum Sanctum, non videtur excludenda. Missa enim Sabbati Sancti se refert praecise ad mysterium Resurrectionis Dominicae illa sacratissima nocte peractum; unde quomodo facienda est commemoratio SS.mi Sacramenti die ipso Paschatis Resurrectionis, ita facienda est in nocte eiusdem mysterii. Neque obstare dicendum est, praefatum Decretum, eo quod respondere directe declinavit ad quaesitum " A „ tertiae quaestionis, sub dubio V, in quo habebatur: " Num commemoratio SS.mi Sacramenti post Orationem Missae sub unica conclusione semper cantanda sit, non exceptis Feria V in Coena Domini, *Sabbato Sancto* ac festo Sanctissimi Cordis? „ Et sane inclusum credimus responsum in dictione: *omnibus diebus Octavae Paschae;* compertum quippe est Octavam Paschae incipere a Sabbato Sancto. Insuper, Sabbatum Sanctum maximam habet analogiam cum Sabbato in Vigilia Pentecostes; nunc vero hoc Sabbato, ex praecepto Instructionis et ex Decreto citato, canenda est Missa diei cum commemoratione SS.mi Sacramenti; ergo a pari Sabbato Maioris Hebdomadae.

Quidquid tamen de hoc sit, praxis romana contraria est, et in Ecclesia S.ti Ignatii, in qua quotannis locum habet Expositio, commemoratio non adiicitur, hac forte de causa, quod Missa illius diei specialibus regitur Rubricis.

(34) Operis pretium est nunc declarare nonnulla circa exceptiones, quae ponuntur in hoc paragrapho, quoad Missas de die celebrandas, potius quam votivam de SS.mo Sacramento. Et 1.° Circa octavam Epiphaniae dubium quondam movebatur, utrum tota octava fuerit censenda excepta, an dies ultima tantummodo; hodie tamen, post S. R. C. Decretum scilicet **3574**-*5871*, ad V, d. 18 Maii 1883, in *Marianopolitana*, declaratum est, *omnibus diebus* octavae praedictae Mis-

sam votivam esse prohibitam; ideoque in latina versione clarius sensum Instructionis aperuimus. 2.° Iuxta praefatum Decretum excipienda quoque est *octava propria privilegiata*, et merito; sed, ut recte huius dictionis interpretatio fiat, animadvertendum est, multiformiter octavas posse frui privilegiis. Hinc, si privilegium excludit ab octava duplicia II classis occurrentia, ad instar octavae Epiphaniae, aut etiam talia duplicia admittat, Missa votiva in casu excludenda est, cum haec a duplicibus II class. impediatur; si privilegium datum sit ad instar octavae SS.mi Corporis Christi, in qua excluduntur tantum semiduplicia occurrentia infra octavam, et etiam duplicia II classis die ipsa octava, tunc diebus infra octavam dici posset Missa votiva, non autem die octava. 3.° Quamvis die 2 Novembris omnes Missae, praeter Conventualem, esse debeant de Requie, in Decreto Generali **3864**, diei 9 Iulii 1895, n. IV, hoc fuit pro casu nostro praeceptum: " Si autem in solemni hac Defunctorum Commemoratione Expositio SS.mi Sacramenti habenda sit pro Oratione XL Horarum, Missa unica *de eo* non omittatur. "

(35) Missa Conventualis, quae loco votivae solemnis *pro re gravi*, decantatur, nonnihil retinere potest, et in nostro casu debet, de solemnitate votiva, et est, quod Orationibus sibi propriis coniunctas habeat Orationes Missae votivae, sub eadem conclusione, *etsi alia commemoratio deinde, vi Rubricarum, fieri debeat* (D. Gen. **3922**). Quaenam autem sit haec commemoratio, explicatur in Decreto superius citato (*n.* **3574**) sub eodem n. V: " omissis collectis et commemorationibus. Quod si Festum aliquod I vel II classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco sub distincta conclusione fit commemoratio Dominicae et dicitur eius Evangelium in fine. "

Identitas mysterii efficere potest, ut in Missa Conventuali nec commemoratio facienda sit SS.mi Sacramenti, et haec identitas, ex Decreto S. R. C. **3924** in *Strigonien.* ad IV,

3 Iulii 1896, adest " in Festis Passionis, Crucis, SS.mi Redemptoris, SS.mi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis. „

Non tamen Oratio *Super populum* omittenda est feria IV Cinerum et feriis II, III et IV Maioris Hebdomadae, cum ad commemorationes non pertineat (*Decret. cit.* quoad quintam quaestionem, ad secundam partem).

Solemnitas tamen Expositionis non influit in hoc, quod addi possit *Gloria* vel *Credo*, diebus in quibus Missa excepta alias celebranda est absque illis, v. gr. die Nativitatis S. Ioannis Baptistae quoad *Credo*, Dominica I Adventus quoad *Gloria*, Feria IV Cinerum quoad utrumque, quia Missa Conventualis iuxta proprias Rubricas celebrari debet, excepto numero Orationum, sic lege disponente. Nec quod cantus adhibeatur solemnis, quando Missa exigit ferialem, v. gr. feria IV Cinerum (*Decr. cit.* quoad quintam quaestionem, ad primam partem).

(36) Circa Missas ad Altare Expositionis celebrandas, horum, quae sequuntur, meminisse necesse est:

a) Color in Missis, quoad paramenta Celebrantis et Ministrorum, ille semper esse debet, quem exigit ipsa Missa, nulla habita ratione SS.mi Sacramenti, non modo si Sacramento iam exposito celebrentur, etiam si S. Hostia exponenda in iis consecretur, ita ut esse debeat etiam violaceus, v. gr. in Missa de Dominica maiori in Adventu, Septuagesima, etc. celebrata (S. R. C. 9 Iul. 1678, in *Taggen.* n. **1615**-*2864*, ad 6; et 29 Ian. 1752, in una *Ord. Carmelit. Excalc. Prov. Polon.*, n **2417**-*4223*, ad 3); quoad autem Pallium Altaris semper esse debet *albus*, etiamsi Missa exigat paramenta alterius coloris (Instruct., § XVIII).

b) Quum Missa Conventualis est celebranda, die dominico, si facienda est aquae benedictae aspersio, " exposito Sanctissimo Sacramento, omittitur tantum aspersio Altaris (S. R. C. 18 Iul. 1885 in *Urgellen.* n. **3639**-*5944*, ad 2). „

c) Secluso scandalo aut irreverentia, tolerari potest consuetudo, quod Clerus et populus, dum SS.mum Sacramentum expositum manet, sedeant (S. R. C. 28 Iul. 1876, in *Iacen.* n. **3408**-*5673*, ad 3); verum, " quoad Clerum (ex Decr. **3442**-*5720*, 30 Ian. 1878, item in *Iacen.*, ad 3) in ecclesiasticis functionibus servetur Caeremoniale Episcoporum. „

d) Quoad campanulae sonitum ad *Sanctus* et ad elevationem in Missis coram SS.mo Sacramento celebratis (de celebratis ad alia Altaria v. § XVI) haec veniunt consideranda: In *Ritu celebrandi Missam,* post Rubricas Generales Missalis Romani, praecipitur campanulae pulsatio per ministrum *Missae planae* inservientem: nihil pro Missis solemnibus vel cantatis. In § XVI Instructionis nostrae praecipitur: " Nelle *Messe private,* che si celebreranno durante l'Esposizione, non si suoni il campanello all'elevazione: „ Decreto d. d. 18 Iulii 1902, *De Queretaro,* ad I dubium propositum: " ..... 3. Num licita sit pulsatio campanularum (in Missis *cantatis* coram SS.mo Sacramento palam exposito)? „ respondetur: " Detur Decretum n. **3448** (*5728*), *Societatis Iesu,* 11 Maii 1878 ad (I et) II. „ Huius porro tenor est hic: " Dubium II. An possit agitari campanula decursu *Missarum, quae leguntur* in eodem Altari (in quo scilicet expositum manet SS.mum Sacramentum), saltem diebus dominicis, ratione populi pro ea Missa congregati? ... Ad II Negative: et detur Decretum in una *Mechlinien.* 31 Augusti 1867 ad X. „ Hoc demum, **3157**-*5381*, sic se habet: " X. Quaeritur: An observari possit usus, qui viget in Belgii Diocesibus, campanulam pulsandi intra Missam, durante SS.mi Sacramenti expositione? Saltem in casu quo Altare ubi celebratur Missa, ad latera sit Altaris maioris ubi fit expositio, et ita removeatur periculum irreverentiae erga SS.mum Sacramentum patenter expositum...? Ad X. Negative ... „

Quid inde? Nobis videtur sequenti ratione argumentatio instituenda: Aut agitur de Missa solemni seu cantata (co-

ram SS.mo Sacramento), aut de plana; in primo casu, ubi consuetudo viget legi conformis campanulam non pulsandi in Missis solemnibus in genere, nec in illis pulsabitur, quae coram SS.mo exposito celebrantur, cum nulla alia sanctione secus praecipiatur. Neque valet opponere verba Instructionis, superius relata: *nelle Messe private non si suoni,* quasi diceret, *nelle solenni si suoni,* namque silentium opportune indicat unamquamque Ecclesiam in sua consuetudine relinqui. In altero casu subdistinguendum: aut sermo est de Missa plana locum solemnis tenente, et tunc aequiparanda solemnibus, ad effectum de quo agitur, et concludendum uti dictum est; aut de aliis Missis ex. gr. ex necessitate coram SS.mo celebratis, et tunc standum Instructionis § XVI. Et sane: cum Missa celebratur cum cantu, iam ex hoc ipso populus trahitur ad attentionem ponendam caeremoniis et cantui ipsius Missae, et voluntas est proinde Ecclesiae ut Sacramento honor in casu tribuatur celebratione illius Sacrificii, non tantum ut fideles secreto adorantes assistant. Hinc finis ab Ecclesia intentus, hic et nunc, campanulae sonitu non deficit, prout non deficit cantu, sonitu organorum et caeremoniarum apparatu. Quinimo non solum non deficit finis generatim ab Ecclesia intentus, sed attingitur peculiaris ille, qui tunc praecipitur; cum consecratio et elevatio SS.mi Sacramenti in Missa sit huius potissima pars, optime campanulae sonitu indicanda.

Nec opponitur citatus Instructionis §, nec Decreta; ibi evidenter agitur de *Missis privatis* extra Expositionis Altare celebratis, cum coram SS.mo explicite prohibeantur (quibus nos aequiparavimus celebratas ex *necessitate, privilegio etc.* ad Altare Sanctissimi expositi, quae nempe non ex fine ab Ecclesia intento ibidem dicuntur), ergo non de Missa plana locum solemnis, ab Ecclesia praeceptae, tenente; in Decretis autem agitur in 1, *De Queretaro,* de Missis *cantatis,* et respondetur altero Decreto, *Societatis Iesu* campanulae sonitum ne-

gante *primo* in Missis *lectis* coram SS.mo Sacramento celebratis *(Negative)*, non vero solemnibus, ut patet ex verbis, saltem diebus dominicis *ratione populi*, ergo non ratione praecepti; *secundo* in aliis extra Expositionis Altare *(et detur Decretum...)*; ex quo inferre licet: nihil dicendum de cantatis, pro quibus praxis vigens servanda est. In tertio tandem Decreto evidenter est sermo de Missis celebratis *extra Altare Expositionis*, ergo nostrum casum non attingit.

Quod dicimus de pulsatione campanulae ad elevationem valet et de eiusdem pulsatione ad *Sanctus*, quod probatione non eget.

(Continuabitur).

I. B. M. c. M.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro monte Politiano.* 1. Quando Episcopus, ordinarius loci, vel etiam Cardinalis, in genuflexorio aut faldistorio genuflexus assistit ad aliquam functionem sacram, puta: Benedictionem cum SS.mo Sacramento, celebrans genuflexus manet more solito, in medio infimi gradus. In Missa lecta coram Episcopo, confessionem facit, non in medio sed ad latus, quia ad Episcopum convertere se debet, dicens *tibi, Pater*, et *te, Pater* in *Confiteor*. 2. Procul dubio in privata recitatione divini officii qui solus recitat, dicit *Iube Domine*, et non *Domne*; omittit in *Confiteor* verba: *Tibi pater* et *Te pater*, dicere debet *Misereatur nostri* etc. ac *Indulgen-*

tiam peccatorum nostrorum. Ita Rub. Gen. Brev. *Tit. XV n. 2.* 3. Sacerdos Missam celebraturus, nisi transeat in conspectu altaris SS.mi Sacramenti, huic non debet genuflectere, sed recto tramite ad altare progreditur. 4. In funeribus alicuius sacerdotis, praesente cadavere, celebrans se sistit in medio, inter ianuam Ecclesiae et feretrum, quia ratio desit cur aliquantum ad cornu epistolae se ponat, idest ne vertat ad altare terga.

II. *Pro Navarra.* 1. In missis votivis lectis, licet concursus populi habeatur, et pro re gravi, semper omittuntur *Gloria* et *Credo.* 2. Parochus cum matrimonio assistit, numquam utatur pluviale, nisi quum Missa nuptialis decantanda sit in die Dominica, ante quam facienda est aspersio aquae benedictae. Tunc enim nil vetat ut eo habitu indutus, nuptiis benedicat. Extra hunc casum Parochus induatur vel omnibus missalibus paramentis (excepto manipulo) vel stola cum superpelliceo si Missam non sit celelebraturus. *(S. R. C. 31 Aug. 1867 n. 3158).* 3. Iuxta S. R. C. Decretum generale *De Missis votivis* 30 Iunii 1896 n. 3922, quando coniuges, qui matrimonium celebrarunt intra tempus feriatum, benedictionem nuptialem deposcunt, uti illis concedit S. R. Inquisitionis Decretum 31 Augusti 1881, Parochus non tantum benedictionem ex missali illis impertiri, sed Missam pro sponso et sponsa celebrare debet in die libera. 4. Quarta mappa quae imponitur super altare ne superior maculetur, tempore Missae amoveri debet, vel saltem apte complicari ita ut mensa libera maneat.

III. *Pro Neapoli.* 1. Occurrente die infra octavam Dedicationis Ecclesiae, in vigilia Omnium Sanctorum, Missa dicitur de vigilia cum commem. octavae et tertia oratione de Spiritu Sancto, iuxta Rubricam ipsius vigiliae, omissa oratione de B. M. V. Ratio est, quia Missa est de vigilia, ut

patet, et non de octava; hinc Rubrica vigiliae potius exequenda est quam Rubrica Dedicationis Ecclesiae. 2. Occurrente Festo S. Ioachim Conf. die 16 Augusti, in secundis Vesperis pro commemoratione S. Hyacinthi simplificati, dicendus est ℣ *Amavit*, iuxta reformatam Rubricam generalem, tit. IX, n. 8; et in hoc corrigendae sunt tabulae perpetuae Merati et recentioris Buchauer Romae editae. 3. Si Missa S. Gregorii I Pp. C. D. transferatur post Pentecosten, dicitur Graduale proprium et sumitur *Alleluia* cum ℣ e communi Doctorum. Recurritur enim ad commune pro iis quae in proprio desunt uti disponit Rubrica. 4. In anniversario pro defuncto Sacerdote quaevis Missa dici potest, nam ex Rubrica epistola et evangelium sumi possunt ad libitum; quoad vero orationes dicantur quae quarto loco in missali inter diversas habetur, nam Decretum n. 2417 ad 8, tangit solummodo diem depositionis unius Sacerdotis. 5. Sola ratio Festi de praecepto non est causa sufficiens addendi *Credo* in Missa. Habemus enim in missali Missas S. Ioannis Baptistae, S. Annae et S. Laurentii, quae sunt *de praecepto* (licet alicubi non amplius cum feriatione celebrentur) et *Credo* in eis non dicitur. Ut plurimum autem, quia in dioecesibus *cum praecepto* non celebratur nisi Festum patroni primarii, et cum ratione patronatus *Credo* dicendum sit, aliqui auctores nimis non periti, docuerunt symbolum dicendum esse quotiescumque Festum agitur cum praecepto. 6. Procul dubio, Festum duplex II classis die sua impeditum habet in repositione praecedentiam infra suam octavam super duplicem I classis item reponendum, dummodo huiusmodi duplex I classis non habeat octavam, vel sua octava integre absoluta iam sit. Ratio est quia duplex II classis, licet inferioris ordinis, adhuc est in sua festivitate, octava enim nihil aliud est nisi productio Festi. (Cfr. *Ephem. lit.* huius anni, pag. 307-313). S. R. C. Decretum 13 Martii 1804 sub n. 4493 antiquae collectionis, adhuc vim habet.

IV. *Pro Dioec. Meliaporensi.* 1. Sacerdos habens officium classicum (*dup. I et II cl.*) et celebrans in ecclesia ubi fit de semiduplici non privilegiato, Missam legere debet de suo officio, cum *Gloria* et *Credo,* propter duo: 1. Quia Rubrica missalis semper clamat: *Missa quoad fieri potest cum officio concordare debet;* atqui in casu quisquis Missam vel votivam, cuiuscumque coloris, vel defunctorum bene potest celebrare, ergo si ipse *potest, debet* quoque; 2. Quia adhuc vim habet lex quae permittit legere Missam de Titulari altaris, licet non dicatur officium eius, ritu festivo, si occurrat in semiduplici, ergo a fortiori in casu nostro.

2. Ubi die 9 Februarii celebratur Festum S. Apolloniae Virg. ritu semiduplici, post concessionem Festi S. Cyrilli Alex. eadem die occurrentis, S. Apollonia reponi debet, iuxta generale S. R. C. Decretum 21 Novembris 1893 n. 3811.

A. P. P.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE DECEMBRI 1902

In Ecclesia B. Altare quoddam fixum rite ab origine consecratum fuit; contigit autem ut, ob nova opera in Ecclesia inducenda, Altare praefatum amoveri debuerit et alio transferri; nulla id praestitum fuit difficultate, cum Altaris stipes unico constiterit solido lapide. Quaeritur, an idem Altare suam consecrationem amiserit, et nova indigeat?

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae. 1902. - Typ. Bodoniana. Hosp. vulgo "Tata Giovanni", *Piazza del Biscione, 95.*